



# Disputatio juridica inauguralis de restitutione minorum in integrum

<https://hdl.handle.net/1874/342459>

22.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
RESTITUTIONE MINORUM IN  
INTEGRUM,

QVAM,  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimaque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
rite & legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

ADOLPHUS TIELEMAN, Alcmaria Batayus.

A. D. 28. Julii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Ioc xc.

IN OMNIBUS  
JURISPRUDENTIÆ  
FAUTORIBUS.

*Eo quo par est animo*

D. D. D.

ADOLPHUS TIELEMAN.

*Auct. & Deffend.*



Ex Officina Franchisi Halma Academica  
Typographi, apud Iac. ex

D I S P U T A T I O J U R I D I C A

I N A V G U R A L I S.

D E

Restitutione Minorum in  
Integrum.

T H E S I S I.



Rdinis memoriae comitis virtutem exploratissimam habent, qui dispositione methodica felicissimos mentis conceptus, censave sua, & scribunt & eloquuntur. Pernoverunt & exercituum duces. Nam si ordine instructæ non sunt acies, funduntur ab hoste vel minimo negotio. Norunt & Architecti. Si enim lapides, lateres, ligna, cæteraque adhibita artificum manu apte non disponantur, quod ædificatum est corruit, nullique usui esse potest. Optimo itaque jure difficultia ordine explicanda, tractandave censuit divinus Homerus. Ordo enim fidem negotio, obscuris lucem adfert. Ego igitur de causis Minorum restitutionis in integrum disputaturus, non immerito hunc illustrem titulum eo, quo par est, ordine expono, initiumque ab hujus edicti Prætorii causa facio. Causa hujus edicti Prætorii gravissima, ni fallor, hæc est. Prætor considerans hanc

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

ætatem nimis infirmam, multis captionibus suppositam, multorumque infidiliis expositam, hoc edicto prævenire voluit, ne hi minores à quibusdam malevolis circumducerentur, sed naturalem æquitatem hoc edicto secutus Prætor, ipse tutelam minorum infuscepit. l. 1. §. 1. ff. tit.

### I I.

Minores quamvis specialiter illi dicantur, qui pubertatis annos egressi, nondum viginti quinque annos impleverunt, & idcirco pupillis opponantur. l. 30. Cod. Epis. aud. l. 8. §. 1. & 3. C. de bonis quæ liber. In hoc tamen titulo omnes sub eodem generali nomine accipiuntur ita ut & pupillos, imo & in utere existentes comprehendant. l. 45. l. pen. ff. h.t. Ut ergo his succurratur, necesse est ut ante omnia hæc duo probent. Primo, minorenitatem l. 39. ff. tit. l. 4. C. de integr. rest. minor. quilibet enim tenetur suam probare intentionem l. 19. ff. de prob. & hæc probatio vel fit per testes, vel per scripturam l. 2. C. de his qui veniam et. imp. l. 13. D. de prob. l. 2. §. 1. D. de excus. tut. velut codice baptisteriano, cui Presbiter parœcus inscribit nomen intincti & baptizati, imo & in hac probatione parentes testes admittuntur. l. 3. 4. & 5. ff. de Carbon. edit. l. 16. ff. de prob. Proinde & cætera, de quibus pariter affirmat, id est, se læsum esse probare debet; quod & ipsum traditur l. nam posteaquam 9. §. 4. D. de jurejurand. l. minoribus 5. C. de integr. rest. sed secundum quorundam Clarissimorum Virorum sententiam vehementer obstat videtur l. 1. C. si adv. cred. ubi creditori incumbere dicitur, ut probet, minorem locupletiorem factum. Verba legis sic sonant.

Cum

# INAUGURALIS. 5

*Cum & ipse profitearis, cum Zenodora minore virgin-*  
*tiquinque annis te contraxisse, nec doceri potuisse*  
*Prætorem virum Clarissimum, ex eo contractu eam*  
*esse factam locupletiorem, intelligis eam merito in in-*  
*tegrum restitutam. Sed hujus legis solutio nobis per-*  
*facilis videtur, dicimus enim ei incumbere probatio-*  
*nem qui dicit, siue actor sit siue reus. l. 2. D. de prob.*  
*Dicit enim etiam reus excipiendo, & exceptionem*  
*probare debet. l. in exceptionib. 19. pr. D. de prob.*  
*l. 1. ff. de exceptionib. Creditor contra quem minor in*  
*specie d. l. 1. C. si adv. cred. in integrum se restitui*  
*petiit, excepit minorem factum esse locupletiorem,*  
*pecuniam creditam versam esse in rem minoris, quod*  
*cum diceret, probare ipsum oportuit. Probabit autem*  
*hoc, si crediderit in emptionem rei annonariæ, si in*  
*funus patris demortui: si in mercedem præceptorum*  
*confert. l. ult. C. de exter. act.*

## III.

His itaque probatis varias ob causas restituitur mi-  
 nor, veluti adversus venditionem, vendendo vel emen-  
 do aliquid l. 7. §. 1. C. si advers. vendit. Adversus solu-  
 tionem, quam aut fecit l. 2. C. si advers. soc. aut ac-  
 ceptavit, etiam tutore vel curatore auctore, si pecu-  
 niam acceptam perdidit d. l. 7. §. 2. l. 1. C. d. t. nisi  
 solutio facta sit ex decreto Prætoris, quod dat plenissi-  
 mam securitatem. d. l. 7. §. 2. Adversus aditam hæredi-  
 tam damnosam, quæ ante lucrosa apparebat, salva quo-  
 que minoribus est restitutio. l. 1. C. si minor abhæred.  
 se abst. Posset autem quæri, an tum à minore alienata  
 sint dicenda rata, quod videtur negandum, cum resti-  
 tutionis in integrum proprium sit, in pristinum repo-

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

nere negotium, ac si gestum non esset, ex utraque parte  
*l. 24. §. rest. h. t. & l. 1. C. de reparacione quæ sunt  
in jud.* verum contrarium responsum est in *l. 44. D. d.  
acquir. hæred. & l. 22. b. tit.* ubi à minore hærede,  
postea restituto, gesta habentur rata, quatenus bona  
fide gesta sunt; ut res ab eo vendita nequeat revocari,  
libertates salvæ maneant, expensum in solvendis legatis  
non sit refundendum à minore; ut neque interim so-  
luta vero creditori repeti *Ant. Fab. in suo Cod. hoc tit.  
defin. 4.* quam posteriorem & nos defendimus sen-  
tentiam.

## I V.

Restituitur etiam minor adversus omissam vel non  
aditam hæreditatem, si nempe se abstinuerit, aut repu-  
diaverit hæreditatem locupletem *l. 1. & 2. C. si ut omis-  
sam hæred. &c.* nam & contra lucrum omissum resti-  
tutionem meretur *l. 7. §. 6. h. t.* neque ulla hac ex re  
legatarii & creditores afficiuntur injuria; quorum in-  
terest habere aliquem, quem convenire possint: uti nec  
substituto, vel agnatis proximis, ad quos à die repu-  
diationis cœpit pertinere hæreditas *l. 1. de successorio  
edicto*, ut tamen procedat hæc restitutio, oportet res  
sit integra, id est, nec dum sint venditæ res, alias ei  
locus non erit *l. 24. h. t. l. fin. C. de repud. hæred.* non  
obstante quod pretium succedat loco rerum vendita-  
rum. *l. 22. & 23. de hæred. petit.*

## V.

Conceditur & restitutio minori adversus fiscum,  
nam & hic jure communi utitur, & admittit restitu-  
tiones minorum. Unde licet quadriennalis temporis  
lapsus obstet iis, quorum res a fisco sunt venditæ *§. inst.  
edit.*

*edit. de usucapione.* aduersus eum tamen restituitur minor lœsus *l. 1. & 2. C. si adv. fisc.* nisi res vendita fuerit ratione debiti fiscalis : quo tamen casu probata collusione & fraude, per quam res vilius vendita aut omissa solemnitas, restitutio non denegabitur *l. fin. C. h. t.*

## V I.

Restituendus est quoque minor aduersus sententiam *l. 16. ff. t.* si contra eum litigantem, tutorum vel curatorum auctoritas vel contra tutores vel procuratores litigantes ejus nomine sit judicatum, cum lœfione minoris : placuit enim tunc instaurari item *l. fin. sup. b. t.* id est, restitui aduersus sententiam, etiam ab eo, qui est vice Principis *l. 3. C. si adversus rem judic.* Imo & ab ipso Principe, quamvis id raro admittitur *l. 18. b. t.* si tamen valida sit sententia, nam invalida non eget restitutione *l. 4. b. t.* & transferit in rem judicatam. Nec recte quis objecerit, minori contra tutores aut curatores consultum esse remedio ordinario; actione scilicet tutelæ vel curæ, ut hoc extraordinarium non sit indulgendum *l. 16. ff. b. t.* nam non denegatur, præcipue minoribus, extraordinarium remedium, si commodius & facilius ordinario sit : uti hoc in casu cum faciat integrum causam minori non semper ordinarium: eo quod fieri facile possit, quod actione tutelæ majores difficultates sit habitura, quam restitutio, si forte tutor aut curator sit ille cui minor parere possit vel debeat, aut qui ob dignitatem fortassis sit difficilioris conventionis aut denique qui solvendo esse desierit, nec idoneos habeat fidejussores Unde rescriptum *l. 2. C. si tutor vel curator inferre.*

etiam

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

etiam in his restitui minores quæ in judicio sive extra illud, præsentibus tutoribus vel curatoribus gesta fuerint, si circumveuti fuerint: interest enim minoris indemnem servari potius, quam post læsionem remedium querere *l. fin. C. in quib. causis rest. non est necess.* alias etiam multas ob causas minor restituitur: nempe ad appellationem omissam, ermodicium, id est litis desertionem, & quoad alios casus in quibus captus jure, quod habebat, amissio: lucro, quod in manibus illi erat, adempto, &

— *Si hæc prima repetens ab origine pergam,  
Ante diem clauso componat vesper Olympo.*

## V I I.

Vidimus ergo breviter quas præcipue ob causas restituatur in integrum, videamus nunc in quibus causis hæc non sit necessaria, ut & in quibus ipsi sit denegata & prohibita. Necessaria non est restitutio: ut si alio modo ordinario minor indemnis servari possit. Unde inquit Ulpianus *l. 16. in princ. b. t.* in causæ cognitione hoc versari, num forte alia aëlio competi possit circa in integrum restitutionem. Quod non ita accipiendo; quasi non sit dandum hoc remedium ipsi, cui est aliud ordinarium; nam & extraordinarium indulgeri ei, cui est ordinarium dictum supra, modo sit commodius: sed hanc habet sententiam, non esse ei dandum hoc remedium, qui communi auxilio & ipso jure munitus, id est cui auctoritas illæsum suum jus conservat, negotio habito perinde ac si gestum non esset lege non puniente ejus omissionem. Veluti si mortem Patris non sit ultus *l. i. C. inquit. causis in integr. rest. necess. non est.* Si intra quinquennium

non

non proposuerit querelam inofficiosi, quia non currit illi tempus *l. 2. C. d. t l. ult. eod.* ut nec currit ei biennum non numeratæ pecuniae. Si contractum nullum gesserit quia quod nullum est nullum parit esse. etum; ut restitutione non sit opus, presupponit enim pervatio habitum; Sic adversus sententiam contra se indefensum latam frustra implorat restitutionem, quia nulla est: uti & contra tutorem judicio expertum, ante emissam cautionem pro tutelari officio, quia non sustinet legitimam personam administratoris *l. 4. C. eod.* si item res immobilis sit alienata sine causa aut sine decreto, quia alienatio est nulla, ut dicetur inferius *tit. de reb. eor.* Sic matri minori, quæ liberis tutorem non petuit, defertur nihilominus eorum successio, quod ea res majoribus tantum incumbat *l. 2. C. si adv. delictum.* Sic si indebitum solutum fuerit, cum condicere possit æque commode, frustra restituetur, nisi ex ea causa solutum fuerit, qua jure civili denegatur repetitio, ea scilicet quæ inficiatione crescit *l. 25. ubi Glossa b. t.*

## V I I I.

Casus autem præcipue quibus minori denegatur restitutio sunt hi. Primus est si non appareat minorem circumscriptum esse *l. 9. si minorem inf. de jure jurand.* ubi ait J. C. non ideo circumscriptum statim quemquam dici, quod minor sit: & ideo causæ cognitio est adhibenda *l. 11. §. sciendum b. t.* alias qui sunt istius ætatis magno afficerentur incommodo, nomine cum iis contrahere volente *l. 24. ff. t.*

## I X.

Secundus, si veniam ætatis, idest jus legitimæ ætatis

10 DISPUTATIO JURIDICA

tis impetraverit per quam minori ante justam ætatem committitur rerum suarum administratio, citra alienationem tamen (de quo tit. C. de his qui veniam ætat. impit.) aut hypothecam rerum immobilium siue decreto Prætoris l. 3. C. ff. t. quam nullam esse, ut non opus sit restitutione non est ambigendum, cum dicta l. 3. eod. qui veniam ætatis impetraverunt, quoad alienationem talium rerum.

X.

Tertius si agatur de delicto, & poena, ex eo, sive corporalis, sive pecuniaria l. 9. ff. t. ut si furtum fecerit, damnum injuria dederit, cum infirmitas animi non excusat malos mores l. 1. C. si adv. delictum, quatenus tamen dolus adest: nam si ille desit, noxia non committitur d. l. 1.

X I.

Quartus an minor Jurisconsultus læsus in contrahendo, aut alio actu sit restituendus & ad id breviter respondimus, quod si circa Jurisprudentiam sit deceptus nullo modo restituitur, quoniam id turpiter ignorat, cum in eo versetur, atque ita restitutionem pendo conta errorem à se commissum alleget turpidem l. 2. de orig. jur. non tamen in casu, quo in facto erret, ut si in emptione domus, vel fundi per ætatis lubricum laedatur. Quod non est turpe Jcto minori, cum circa ea quæ facti sunt, prudentissimus quisque fallatur.

X I I.

Et sic innumeros casus possent enumerari in quibus minoribus denegatur restitutio, verum unum tantum hisce precedentibus adjiciemus qui est, si actus à minore

## I N A U G U R A L I S. II

nore gestus sit invalidus *l. 16. ff. t.* quia est ad instar privationis, quæ habitum præsupponit: Unde non eget restitutione, qui Curatorem habens alienam rem immobilem, sine ejus consensu *l. 3. C. de in inf. rest. Min. neg.* neque enim alienare ei permisum, licet obligare se possit, quod personam habeat liberam. *l. 101. inf. de V. O.* His itaque generaliter cognitis, & brevissimo modo & more explicatis, ex re judicam, ut apponatur.

---

## C O R O L L A R I A.

### I.

*Vendor tenetur rem ipsam præcise trādere.*

### II.

*Inviti Adolescentes curatores non accipere coguntur.*

### III. Null-

*Ex Officina Francisci Blauna, Academicæ  
Typographi, dicitur.*

III.

*Nullus habet tacitam hypothecam in refectione navium.*

IV.

*Res aliena potest, vel non potest pignori dari.*

V.

*Transactio non est contractus regulariter.*



ANX. III